reſpectu, ìnduit non unum eundemq; vultum; nam quoad internam Reipublicæ conditionem, facilius eſt diſſerere de congruis Status remediis, quàm de his, quæ eidem extrinſecùs adveniunt, quò pertinent finitimorum bella, pax, fœdera &c. in quibus tanta ſæpè invenitur varietas, ut vix videantur certis præceptis explicari poſſe.

Huc equidem omnium ferè Regum, Principum, Rerumq; publicarum actiones hodiè collimant, ne quem quamvé ex ipſis ultra proportionem, quatenus in viribus eſt, potentiâ ſinant creſcere. Unde pro rerum circumſtantiis in varia fœdera coire ſolent, quæplerumq; multiformes prætextus contegunt, ac tamdiu perdurant, quamdiu aut neceſſitas defendendæ communis libertatis, aut ratio utilitatis certè magni hodiè æſtimata, eadem apparuerit. At vero in hypotheſi de his & ſimilibus, exquiſitiùs nunquam conſultatur, quàm pro temporum exigentiâ, unicus enim caſus, aut circumſtantia ſaltem, totam belli, pacis fœderisvé rationem haud rarò immutat. Quapropter meo hoc Tractatu præcipuè ad priorem illam utpote certiorem rationis Status conſiderationem reſpexi, quâſc. Germania

noſtra